



**P**hilippus natus est ex nobili familia à Flerfheim, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. Eum parentes ob ingenij tranquillitatem in omni genere literarum educandum curarunt. In ijs etiam plurimum profecit, et insignem rerum usum sibi comparauit. Postea ad cathedralem Ecclesiam Spirensis peruenit, et in collegium Canonicorū assumptus fuit. Ibi ea animi moderatione uixit, ut post Georgij Palatini Episcopi Spirensis obitum ei substitueretur, anno ætatis 48, salutis uerò 1529. In ea eminentia constitutus, de suis uirtutibus nihil remisit, atq; eius Ecclesiæ dignitatē plurimum euexit. Erat enim religionis & pacis studio

siissimus. Itaq; factum ut etiam nobilem Vueyssenburgensem Præposituram anno 1546 Spirensi Ecclesiæ adiecerit, & hoc facto magnam authoritatem sibi & successoribus impetrarit. In bello quoq; Smalkaldico ipse quieuit, & ut patriæ pax restitueretur, summopere apud Cæsarem intercessit. sub finem tamē uitæ Albertus Marchio ipsum non parum molestauit, quod tamen ipse patienti animo tulit. Cum hoc modo per 23 annos optimè præfuisset, die 14 Augusti, anno 1552 iam septuagenarius obiit, atq; Spiræ in cathedrali Ecclesia pretioso sepulchro decoratus fuit. In eius uerò locum Rodolphus à Franckenstein successit. Anon,